nem. Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos: verba cantionum. Et qui adduxerunt nos. hymnum cantate nobis de canticis syon. Quomodo cantabimus canticum domini: in terra aliena. Si oblitus fuero tui ierusalem: obliuioni detur dextera mea. Adhereat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui. Si non proposuero ierusalem: in principio leticie mee. Memor esto domine filiorum edom: in die ierusalem. Qui dicunt exinanite exinanite: usque ad fundamentum in ea. Filia babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam: quam

retribuisti nobis. Beatus qui tenebit: et allidet paruulos suos ad petram. ℟ Hymnum cantate nobis de canticis syon. Cap Dominus autem dirigat.

Magne deus Hymnus. potentie qui ex aquis ortum genus: partim remittis gurgiti: partim leuas in aera. Demersa limphis imprimens subuecta celis irrogans: ut stirpe una prodita: diuersa rapiant loca. Largiris cunctis seruulis quos unda lauat sanguinis: nescire lapsus criminum: nec ferre mortis tedium. Ut culpa nullum deprimat nullum leuet iactantia elisa mentis